

no. art. 4. Schottum l. i. Mirab. c. 20. §. 1. 2. 3. Hæc de Generatione & Creatione Dæmonum iufficiant, quæ cum sint principaliora, & ad omnes ferè quæstiones suam conferant symbolum, fusius meruerunt examen. Iam me converto ad alias non minùs jucundas, quam utiles Quæstiones.

Qv. ergò III.

## AN DÆMONES POSSINT HOMINES IN BESTIAS TRANSFORMARE?

§. 4. Celebris hæc est Controversia, longo disputata tempore, hanc ob causam, quod Venefici & Sagesæpe sæpies fateantur, sese transmutatos fuisse vel in Lupos, vel in Ursos, aliasque Bestias, imò quod non rarò nobis visi fuerint ejusmodi bruta, quæ deinde hominis formam recuperârint. Antequam nostram aperiamus sententiam, placet aliqua afferre exempla. Majolus Tom. 2. Colloq. 3. inquit; totum populum in Livoniâ habere exploratissima, seque in hâc regione audivisse seqq. Verba ejus hæc sunt: *Ineuntibus diebus, qui proximi natalem Domini sequuntur, circumit Puer altero pede claudus, qui illa Diaboli mancipia, quorum ingens numerus, convocat & sequi jubet. Quod si cessant aut cunctantur, mox alius Vir procerus flagello ferreo, ut procedant propere, cogit, eosq; adeo cedit, ut multo tempore cum magno doloris sensu vestigia cernantur in corpore. Conventis aliquot millibus, Dux cum flagello præt, agmen eorum, qui se luporum specie circumdatos falsa persuasione credunt, sequitur. Educti in obvia pecora irrunt mordicus, apprehensa lacerant, rapiunt quæ possunt, dant & alia damna; sed Homines attingere aut ledere non illis fas est. Ad flumina ubi accesserunt, Dux flagelli ictu aquas findit, ut debiscere & decedere*